



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 8. Sacerdotes superbiam fugiant & arrogantiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

placuit degradari, & abstinere à Sacramentis,
quousq; pœniteat.

Can. 44.

Apoitolicus quoque Canon ait, Presbyter aut
diaconus vsuras à debitoribus exigens aut desinat,
aut certe damnatur. Decreto huic & constitutio-
ni Apostolicæ insistens, dico, vos, Sacerdotes,
qui vsurarij estis, & non nisi auro inhiatis, hoc
in mundo condemnari, & in altero perpetuis
supplicijs mancipari merere.

CAPVT VIII.

Sacerdotes superbiam fugiant & arrogantiam.

Iner proueria Salomonis scriptum est, *Prou. 16.*
Abominatio Domini est omnis arrogans. Pro-
uerbij huius veritatem ostensurus, credide-
rim Sacerdotem superbum & inflatum abomi-
nationem coram Deo esse, illiusque maiestati
summo perè displicere.

In die honoris, ait idem Sapiens, *ne extollaris.*
Consilium diuinum atque à sancto Spiritu pro-
fectum, & Sacerdotibus datum, ne scilicet in
die honoris, id est, cum ad summas dignita-
tes euehantur, & ad amplissimos in Ecclesia
honores promouentur, turgeant & insole-
scant.

Rectorem te posuerunt! noli extolli; esto in illis
quasi vnus ex illis, idem dicit Sapiens. Verum *Eccl. 32.*
hic docentur Sacerdotes, cum ad dignitates su-
blimantur, & rectores & pastores Ecclesiarum
constituuntur, insolescere, inflari, aut sese ex-
tollere non debere, at ita sapienter & pruden-

Cc 25

ter vi-

vt eriuere, quasi similes aliis forent & priuati.

Tob. 4.

Tobias iam moriturus, & testamentum condens, filium imprimis monuit, ne sese extolleret aut aliis praeferret, *Superbiam*, inquit, *in tuo sensu aut in tuo verbo nunquam dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Quod bonus ille senecio filio, suis Deus Sacerdotibus quotidie proponit, vultque in illorum operibus & verbis nullum fastus aut insolentiae apparere vestigium, vt pote cum peccatum hoc omnia illius Ecclesiae afflictionum fuerit initium.

Tob. II.
Superbus
vanus est.

Vir vanus, inquit Iob, *in superbiam erigitur*, Sancti huius viri opinionem secutus, dico, Sacerdotem insolescentem & inflatum, vanitatem suam, animi imbecillitatem ac vilicatem testari.

Psal. 100.

Dauid domesticorum suorum mores reformaturus, sincerè coram Deo protestatus est, nullum superbum aut iactabundum se in familia allectorum: *non habitabit in medio domus mea qui facit superbiam.* Regis huius exemplo discimus & credendum est, Regi regum superbos, & Sacerdotes imprimis ita displicere & exosos esse, nullum vt sibi ab illis obsequium velit impendi, imò & domo sua, id est Ecclesia at- ceat.

Ibid.

Gener ille Saulis, monstrorum domitor, Goliathæ expugnator, Iudaicus Hercules David, tantoperè superbos & arrogantes detestabatur, vt eorum semper declinaret commercium, imò necipsum cum iisdem sumere voluerit, *superbo oculo & insana-*

insatiabili corde, cum hoc non edebam. Et sane Sacerdotes iactabundi & inflati ab alijs meo iudicio sequestrati agere deberent, ab aliorum commercio se retrahere, ac merentur nemo ut cum ijs cibum sumat, mirum igitur tantam eorum superbiam & tumorem esse, ut ad Deum accedere præsumant, & illius mensæ se conuiuas constituere non vereantur.

Scriptit olim Salomon, *Vbi fuerit contumelia, ibi erit & superbia, vbi autem fuerit humilitas, ibi erit sapientia.* Adeò ut erui hinc posset, Sacerdotes cum superbierint & arrogantes fuerint, animi sui vilitatem ostendere, & infames se reddere; cum verò se humiliant, sapientes esse.

Superbia tam enorme & graue peccatum est, ut Deo & hominibus odibilis, exosa, & inuisa sit, *Odibilis coram Deo est & hominibus superbia.* Certum verò est Sacerdotum superbiam Deo inuisam esse, & adeò enorme peccatum, ut Deo simul & Angelis displiceat.

Superbia Deo & hominibus inuisa. *Ecl. 10.*

Nullò non loco scripturà docet, superbiam nefariam Pandoram esse, quæ peccatum in orbem inuexit, & in hanc vitam omne malorum genus conduxit. Triste profectò augurium, Sacerdotes cum superbire & insollescere incipiunt, omnibus tunc vitijs habenas laxare, & in omnia flagitia præcipientes labi.

Ibid.

Judith vidua egregium & heroicum illud facinus aggressura, hanc coram Deo orationem fudit, *Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium & mansuetorum tibi semper placuit deprecatio.* E mulieris huius verbis erui potest, Sacerdotes, qui alium sapiunt

Judith. 9.

sapiunt & magna de seipsis sentiunt, Deo displicere, ac humilium dumtaxat vota prece- que ab eodem exaudiri.

Episcopus
non fit su-
perbus.
Tit. I.

Apostolus de Episcopi dotibus & qualita- bus agens, inter cætera ait, superbiam illum detestari debere: *dispensatorem, non superbum.* Quod ille singillatim de Episcopis, ipse de om- nibus in genere Sacerdotibus dico, censeoque humilitatem imprimis illis esse necessariam.

Zac. 4.
1. Pet. 5.

Iacobus Apostolus eundem feriens sco- puni, dicebat, Deum superbis resistere, humi- libus autem dare gratiam. Certum porrò & ve- rum est, Deum grauer ac seuerè animadu- terere in eos Sacerdotes, qui superbiunt, & illis qui humiliter de seipsis sentiunt, benedictio- nem impertiri.

Superbos
humiliat
Deus.
Psal. 17.

Huc etiam respiciens Psalmographus dixit olim Deo, *Et oculos superborum humiliabis.* Hi- sce comminationibus auditis, Sacerdotes, diu- næ iustitiæ tonitru formidate, atque ab eo caue- te, ac cogitate regem hunc, vt Prophetam lo- cutum esse, vobisque prædicere, vos, si insole- scatis, magni illius Domini ac vindicis manus experturos.

Superbi
montibus
per similes.
Hor. l. 2. od.

Fulmina, tonitrua, & omnes aërez tempe- states alta semper ferire solent, vt montes, tur- res, & colles, humiliatque verò & per terram prostrata ab earum impetu immunia esse, *Fri- untque summos,* ait Poëta, *fulmina montes.* E- lati & inflati animi, mundi montes sunt, & in- ter illos altissimi sunt Sacerdotes ac superex- stantes alijs; in illos verò Deus indignationum suarum fulmina eiaculari, eorumque caput deijcere vt plurimum solet.

Grad. 22.

Sacerdos, inquit Climacus, *superbus demon*

ipsum non habet: ipse enim iam sibi & demon & hostis & inimicus est. Dicere pius ille vir volebat, Sacerdotes superbientes & elatos, sibi ipsis hostes esse, & alijs dæmonas.

CAPVT IX.

Sacerdotes iracundi non sint.

IN lege Mosaica præcepit Deus, vt dum summus Sacerdos inauguraretur, & altari consecraretur, oleum capiti illius infunderetur, Et oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur. Oleum lenitatis ac benignitatis symbolum est; ipsum verò in Sacerdotum consecratione adhibere, denotabat lenitatem illos præferre, & omnem animo rancorem proscribere debere.

Exod. 29.

Oleum vnctionis Symbolū benignitatis.

Salomon in templo suo, Cherubinos, postes, & ostia è ligno oleagino fieri præcepit, Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum, & duo ostia de lignis oliuarum. Omnis hæc ceremonia mysticè denotabat, quidquid in Ecclesia est, non nisi lenitatem ac suauitatem esse, & Sacerdotes Cherubinorum instar viuendo, oliuas imitari debere, in sermone comes, in verbis lenes, ab omni iracundia, furore, rancore, & felle alienos.

3. Reg. 6.

Dilectæ suæ perfectiones recensens Sponsus inter cetera, oculos illam habere dicit columbinos, Oculi tui columbarum. Columba felle caret; Sponsa verò hæc Ecclesiam repræsentat. dicere verò, columbæ illam oculos habere, est ostendere Sacerdotes & omnes Ecclesiæ ministros felle carere, iracundiam fugere, choleram detestari debere, nec furorem oculis præferre.

Cant. 1.

& 4.

Ecclesia Columbæ similis